

**www.e-rara.ch**

## **Historia animalium**

Conradi Gesneri medici Tigurini historiae animalium lib. I. de quadrupedibus viviparis - opus philosophis, medicis, grammaticis, philologis, poëtis & omnibus rerum linguarumque variarum studiosis, utilissimum simul iucundissimumque futurum. ...

**Gessner, Conrad**

**Tiguri, anno 1551**

**Zentralbibliothek Zürich**

Shelf Mark: NNN 41 | F

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-1927>

De cuniculo.

---

### **www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien - von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material - from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes - des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.


---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



A.

LEPORUM generis sunt & quos Hispania cuniculos appellat, Plinius. Genus leporum triplex, Italicum, Gallicum siue Alpinum qui toti sunt candidi, (de quibus in Leporum historia dicam in L. litera:) & tertium Hispanicum adapis nomine, quos (ut Polybius est auctor,) appellamus cuniculos, Hermolaus in Dioscor. Leporū genus minus est, quod sub terra in cuniculis uitam magna ex parte ducit, Platina. Est inter lepores genus quoddam, nonnulli lepusculos, Hispania cuniculos nominat, quod sub terra cuniculos ipsi faciant, ueluti mures, quas dicunt *μωπίες*, ubi latitant in agris, Grapaldus. ¶ Vbi *chærogryllus* in Sacris à LXX. redditur, & erinaceus à Latinis, secundū Hebræos *שַׁפְּחָן* schaphan, uidetur esse cuniculus, &c. Aug. Steuchus: uide caput II. in Leuiticum. De *chærogryllo* plura uide mox in Echino. Psalmo 104. pro *schephanim* uulgaris interpretatio herinaceos habet: sed Hebræi communiter accipiunt pro cuniculo. Deuteronomio 40. mī capite 14. pro *schaphan* Hebraica uoce *χαιροζυλίον* habent Septuaginta: & Leuitici undecimo da sypodem: Hieronymus utrobique *chærogryllium*, & Prouerb. cap. 30. *lepusculum*: Psalmo 104. *herinaceum*, idē in commentarijs in septimum cap. Matthæi, asserere uidetur, inquit: Timidum animal in petrarum cauernas se recipit, cute aspera, & tota armata iaculis tali se protectione tutatur. At in libro ad Suniam & Fretelam Psal. 104. super his uerbis, Petra refugium herinaceis: Omnes, inquit, *χαιροζυλίος* simili uoce transtulerunt: soli LXX. lepores interpretati sunt. Sciendum autem est animal esse non maius hericio, habens similitudinem muris & urfi, unde & in Palæstina *ἀρκιόμυς* dicitur. Et magna est in istis regionibus huius generis abundantia, semperque in cauernis petrarum & terræ foueis habitare consueuerunt. Sed de hoc muris genere, quod *ἀρκιόμυς* appellat Hieronymus, alibi dicam inter Mures: id enim esse existimo quod *cricketum* Albertus uocat, Illyrij *skreczek* & Germani *Fornerle*.<sup>+</sup> *Chæros* Græcis porcum significat, cui synonymum etiam *gylus* est, & *γυλλίον*, & *γύλον*, & uidetur id animal nonnullam suis speciem præ se ferre, unde & apud Germanos nomen. *γύλον*, sportula militaris in quam cibos imponebant; uel animal quod à quibusdam *χαιροζυλίον* uocatur, Scholia in Pacem Aristophanis. Hanc sportulam oblongam fuisse aiunt, & in acutum desisse, (forte ab aliqua rostri uel corporis porcini similitudine:) alij ore angusto, Varinus: Idem *γύλον* exponit porcum, aut leonem. Gyraldus in Opere de dijs, *gylion* à quibusdam *chærogryllon* exponi scribit: *chærogryllum* autem ipse porcum spinum interpretatur, ut Syluaticus etiam, qui corrupte *chærogryllum* scribit. Est autem porcus spinus qui apud ueteres *hystrix* dicebatur, de quo in H. litera dicam. *Chærogryllium* ab Hesychio, Varino, Alberto Mag. & Isidoro, echinus exponitur. Erinacii *chirogrilli* nuncupantur, propè magnitudine mediocriū cuniculorum, de cauernis petrarum procedentes gregatim: in eremo, quæ est contra mare mortuum, depascuntur, Eucherijs. *Cyrogryllus* (inquit Albertus, quamuis alibi herinaceum interpretatur) animal paruum & debile, in terræ foueis habitat,

vel gambus

habitat, animalculis paruulis terrenis infestum. Cirogrillus animal infirmum, sed rapax & mor-  
 tiferum esse dicunt. Glossa super Leuiticum, ex D. Hieronymo ni fallor; hoc ad arctomyn con-  
 uenire uidetur, ad leporem cuniculum & herinaceum minime. Ego ut meam tandem sententiam  
 aperiam, choerogryllum, uel choerogylum, uel choerogryllium (omnibus enim his tribus modis  
 recte scribi uideo; reliqui inepti sunt:) herinaceum esse crediderim. Obijcienti aliud apud Grae-  
 cos herinacei nomen esse, nempe echinum; respondebo, unum animal etiam in eadem lingua, pro  
 dialectis & regionibus diuersis, duo aut plura habere nomina, usitatum esse, & apud Graecos  
 praecipue. Verisimile est etiam cum echini nomen ambiguum sit ad terrestrem marinumque echi-  
 num, cuiusmodi homonymiae gratia terrestrem a nonnullis priuatim choerogylum dictum. Acce-  
 dit quod plures sunt qui herinaceum interpretantur, quam qui aliter, ipsi & antiquiores & Graeci.  
 10 Iam quod ad ipsam herinacei figuram, rostrum praecipue, omnino choerogryllus dici meretur, cum  
 sui tam similis sit, ut Germani genus eius alterum (duplex enim est) suillum nominent: Angli herina-  
 ceum omnem porcum sapium, quod inter sapes latitent. Hac suis circa rostrum praecipue similitudo,  
 nec ulli iam dictorum animalium, nec hystrici conuenit: nec criceto, quem arctomyn esse puto, nec ulli  
 denique notorum mihi uisu audituue, aut ex historijs animalium. Choerogryllus igitur herinaceus terre-  
 stris esto, donec aliquis certius quidpiam attulerit. An uero saphan Hebraeorum herinaceus potius  
 uel cuniculus sit, si quis ex me quarat, euniculum esse dicam: Primum Deuter. cap. 14. cum lepore no-  
 minatur, utpote congener animal, quod ruminet quidem, sed ungulam non bipartitam habeat: deinde  
 20 quia certus sum aliud herinacei nomen in sacris literis reperiri, nempe קיפוד kipod, quod licet alij aliter  
 exponant, ego tamen herinaceum esse in historia eius demonstrabo. Et quamuis apud ueteres non  
 meminerim legisse, nec ipse obseruauerim leporem ruminare, inde tamen hoc eum facere colligo,  
 quod coagulum habet, ut ruminantia omnia: licet unus tantum ei uenter sit, cum caeteris ruminan-  
 tium omnibus plures habeantur: sed inter pisces scarus quoque ruminat, etsi unum duntaxat & simpli-  
 cem uentrem habeat, ut pisces omnes, & utrinque dentatus sit. Ruminant & Pontici mures, utrinque  
 dentati, Aristotele teste. Lepore autem ruminare concessio, ut in sacris traditur, cuniculos quoque utpote  
 generis eiusdem animalia ruminare non negabimus. Porro quod herinaceus ruminet, nec auctores  
 ulli meminerunt, nec ulla opinor ratione confirmari potest: quamobrem idem non fuerit Hebraeo-  
 rum saphan. Cuniculus & lepus ruminant, ut Hebraice legitur Leuitici 11. ubi in translatione  
 Graecorum ruminare negantur: sed apparet expungendam esse negationem: nam Deuter. cap. 14.  
 30 eorundem translatio Hebraicam ueritatem secuta ruminare eos asserit. Qui apud nos cuniculos in  
 cunicularijs (utitur hac uoce Budaeus) alunt, de ruminantia ipsorum certi nihil docere me potuerunt:  
 hoc tantum quidam affirmabat, sapius se post cibum eis ante horae dimidium exhibitum, mandentes  
 adhuc deprehendisse. + Hieronymus etiam cum Prouerbiorum cap. 30. lepusculum uertit, lepori + quod et ipse post  
 simile animal intellexisse uidetur, minus tamen: tale cuniculus est. Grapaldus sane cuniculos a non- obseruavi.  
 nullis lepusculos uocari scribit, quod ego ab alio auctore factum quam Strabone non memini: qui  
 eos λαγιδεῖς uocat, alias simpliciter, alias cum additione λαγιδεῖς γεωργίχους, quos aliqui leberidas ap-  
 pellent. Quae similiter uox tanquam diminutiuum a lepore Latinorum facta uideri potest, cum alio pro-  
 prio uocabulo Graeci carerent: quanquam Varro Aeoles Boeotios Graeco uocabulo antiquo hoc ani-  
 mal leporem dictum auctor est, & ab ijs ad Latinos deriuatum arbitratur. Quare si saphan, ut pro-  
 40 baste mihi uideor, cuniculus est, choerogryllus autem herinaceus, Septuaginta interpretes & secutum  
 illos D. Hieronymum Hebraicae uocis significationem non assecutos dicemus. Deuter. cap. 14.  
 pro Hebraica uoce saphan, Chaldaeus reddit שפס, thapsa: (legendum apparet thapsa: nam Psalmo 104. per pe, non per ain pro sephanim Hebraeorum Chaldaeus reddit thapsia: dapsicus autem &  
 50 adapis non alius quam cuniculus est, ut supra ostendi:) Arabs, ربار uebar, Persa بهفانگه befangerah.  
 Psalmo 104. Arabs secutus Graecum, qui λαγιδεῖς reddidit, uertit אלרנב alraneb, id est lepores. Se-  
 bastianus Munsterus in Lexico suo trilingui cuniculum חגא chagas uel hagas nominat, & alio no-  
 mine תפז thapza uel taphza, quod nomen alibi etiam ericio attribuit. Ego pro cuniculo semper ac-  
 ceperim: nam Simeon Sethi, ut mox capite sexto referam, dapsicon uocat, Hermolaus Barbarus a-  
 dapis, ubi a litera forte abundat, uel articuli Hebraici loco est. Graecus Leuitici undecimo dasypo-  
 60 de uertit, de qua uoce paulo post plura dicemus. Vincentius Belluacensis in cuniculi historia, uires  
 eius in re medica describens, Isaaci uerba de Kericulo imperitissime citat. Pertinent enim ea omnia ad  
 herinaceum, quem barbarus Isaaci interpres kericulum nominauit. Cuniculi apud Aristotelem per  
 lepores intelliguntur, Aug. Niphus in commentarijs in Aristot. Et alibi, Cuniculos (inquit) a lepori-  
 bus non discernit. Strabo lib. 3. leberidas (ut paulo ante dixi) a quibusdam appellari tradit ipsos cu-  
 niculos, qui ab effectu lepores georychis, hoc est fossores, ab ipso cognominantur, Hermolaus in Dio-  
 scorid. Verba Strabonis haec sunt: τὰρ δὲ ὀλεθρῶν θηρίων ἀπαιεῖς, πλὴν τῶν γεωργίχων λαγιδεῶν, ἃς γῆνοι λεβη-  
 εἰδεις πρὸς αὐτοὺς εἰδεις. Hoc est, Animalia autem noxia desunt, praeter lepusculos terre fossores, quos qui-  
 dam leberidas uocant: scribit autem haec libro 3. de Turdania Hispaniae: Et insuper addit, Plantis  
 enim uastitatem inferunt, & satorum radices esitant: & hoc per totam ferme obueniens Hispaniam,  
 60 Massiliam usque prorogatur: quin & ipsas perturbat insulas. Nempe Gymnesiarum insularum incolae  
 missis aliquando Romam legatis terras petisse dicuntur: ab istis enim eiectione bestijs, quibus propter  
 multitudinem obsistere nequirent. Hic ubi Graece legitur, ἢ χόρας ἀεισιμ, uide an legi debeat κατ?

ἰσχυροῦς αὐτοῖσι, hoc ad praesidium militare petendum. Nam & ἰσχυροῦς uox statim sequitur, & Balearicos (eadem uero Gymnestae insulae sunt Graecis, quae Latinis Baleares) auxilium militare aduersus cuniculos petisse Plinius auctor est. Eodem in loco pro δωαμύλων legerim δωαμύλων, & pro πλάμιον, ἀειμόν; & pro φλόρον δὲ πνιλοιμικὴ κατὰ σάσει, φλόρον δὲ πνιλοῖ κατὰ σάσει: ut sensus sit, non quidem cuniculorum multitudine pestilentiam importari, ut uertit interpretes, sed ipsam ex aliqua corruptione aut aëris constitutione pestilenti prouenire, ut serpentium aliquando & murium agrestium copia. Quanquam id ita accidere mihi non uidetur; nam quae in praua aut pestilenti aëris statu plurimum aliquando multiplicantur animalia, praua omnia temperamenti esse uidentur, nec in hominum cibum uenire, ut ranarum, mures, locustae, serpentes, & insecta diuersa: cuniculi uero & bene temperati & in cibo non insalubres uidentur, ut alia fecunditatis eorum abundantis ratio quaerenda sit. 10  
 Polybius lib. 12. histor. animal lepori simile esse ait, cuniculum appellatum, his uerbis: Cuniculus (κύνικλος) uero dictus, eminens quidem uidetur paruus lepus: at si quis in manus acceperit, multum differt, tum in superficie, tum si dissectetur (lego καὶ ἴσθι προῶσιμ.) Ut plurimum autem sub terra moratur. Meminit eorum Posidonius quoque philosophus in historia; & nos inter nauigandum a Dicarchia Neapolin permultos uidimus. Est enim insula quaedam non procul a terra, iuxta postremam Dicarchiae partem, paucis quidem hominibus habitata, sed cuniculis abundans, Haec Athenaeus lib. 9. Dicarchia olim dicta est ciuitas Campaniae in Italia, quoniam iustissime regebatur, quae nunc Puteoli: aliqui Dicarchiam uocarunt. ¶ Superfoetant dasypus, & lepus tantum, Plinius. Oblatrant Budaeo quidam (uerba sunt Io. Brodæi, tractat autem de lepore & dasypode Budaeus in prioribus Annot. in Pandect.) leporem idem animal cum dasypode esse scribenti. Ego in ea sententia Plutarchum in commentario, 20 utrobi in terrestribus, an in aquatilibus brutis maior sit prudentia, fuisse concerto, Athenaeum lib. 9. Pollucem quinto. At Vegetius uolumine quarto, Aliud genus oppugnationis est subterraneum atque secretum, quod cuniculum uocant, a leporibus qui casulas sub terras fodiunt, ibique conduntur, & Strabo lib. 3. τῶν δὲ ἀλεθρίων θηρίων ἀπάνις, &c. (ut paulo ante recitauit) leporis & cuniculi uocabulo indifferenter sunt usi, licenter me hercule nimis, Gnesion sane uerumque leporem (sunt enim adulterini & degeneres) sub terram casulas sibi nunquam fodere, aut cuniculos facere ubi lateant in agris, ex uenatorum omnium axiomatibus sumo pro certo. Aristoteles aperte, semel opinor, dasypodem a lepore distinxit (licet inficias eat Herm. Barbarus) libro de historia animal. primo, τὰ δὲ φρόνιμα καὶ δειλά, οἷον ἔλαφος καὶ λαγὼς καὶ δασύπους. Dasypodem a cuniculo & lepore separauit Plinius lib. 10. cap. 63. Negant alij. Leoniceus & Theodorus cuniculum dasypoda uocant: quos qui reijciunt, quo nomine ab Aristotele 30 & ueteribus Graecis dictus sit patefaciant: eis siquidem hominibus aut nusquam uisum, aut in tanto otio ac diligentia non internotum, uerisimile non est. Contra si cuniculus dasypus est, quamobrem cum Polybius & Posidonius (ut ex Athenaeo paulo ante relatum est) κύνικλον Latine appellauerunt, κύνικλον Galenus libro πρὸς τροφοῦν δωάμεως γ. labat animus: nos haec propterea in medium relinquimus, Hucusque Brodæus. Animalculum in Iberia lepori simile est, quod cuniculum uocant, Galenus loco iam citato, nec plura de eo. Plinius lib. 10. cap. 63. dasypodem cuniculis ita associat, ut nullatenus pro eodem capi uideantur posse: ni generis loco positum ibi dasypoda coniectemus. Nam & Theodorus lib. 6. de historiis cap. 33. dasypodas, id est lepores coire auersos interpretatur, Caelius. Ingeniosa quaedam & timida sunt, ut ἔλαφος, λαγὼς καὶ δασύπους, Aristoteles lib. 1. de animalibus. Hic Gaza pro dasypode cuniculum uertit. Quaestionem de dasypode, sicut de thoe & panthere ac lynce, ne 40 gligentia quadam antiquis authoribus ita praetermissam putat Theodorus Gaza, ut excusari haud facile possint, Caelius. Leoniceus reprehendit Plinium, qui tanquam diuersa animalia diuersis in locis memoret leporem & dasypodem, ut capream & dorcadem, uespertilionem & nycteridem, &c. Dasypodi nomen factum a pedibus hirsutis manifestum est, quod plantas etiam pedum pilis munitas habeat, quod ut leporibus & cuniculis commune est, sic praeter eos nulli animalium conuenit. Hinc & lagopodi herbae nomen, & aui de qua suo loco. Prouerbia quidem a dasypodis celeritate & pulpis sumpta, ad leporem magis quam cuniculum spectare mihi uidentur. In Lexico symphono Sig. Gelenij pro cuniculo Graece σκύνια redditur, uox apud auctores mihi nondum reperta: fuerit autem forsitan recentioris Graeciae. ¶ Cuniculus Italicè nominatur conigli, Gallicè connin, Hispanicè coneio, Germanicè Eünigle uel Eünele ut nostrates uocant, ut alij quidam Eünlein: Anglicè cony, Illy- 50 ricè kralik uel krolijk.

B.

Ebuso cuniculi non sunt, scatent in Hispania Balearibusque, Plinius. Baleares cuniculis animalibus quondam copiosae, Solinus. Quibus in locis ita abundauerint, ut uel suffodiendo uel messibus populatis noxii fuerint, dicam cap. 5. Tertij leporum generis est quod in Hispania nascitur, simile nostro lepori ex quadam parte, sed humile, quem cuniculum appellant, Varro. In Hispania annis ita fuisti multis, ut inde te cuniculos persecutos credam, Appius apud Varronem. Cuniculus lepore minor, sed fortior est: colore & figura ferè ut lepus, Albertus. Credideram leporè sic forma simillima fallit, Ambo superfoetant, dente uel aure pares: Ambo timent, &c. Bapt. Fiera. Aliud est etiam genus leporum, natura perparuum, nec tamen augetur unquam, ei cuniculus nomen est: quod quidem ipsum nouatum a me non est, at etiam in conscribenda historia Graeci quidam usi sunt, quod a principio Hispani imposuissent, Caudam caeteris breuiorem habet, caetera reliquis leporibus consimilis 60

propter pedes  
os plumis indutos.

milis est, præterquam quòd magnitudo capitis quippiã differt, quia exilius sit, & minima carne præditum, eius uniuersum corpus candidius quàm reliquorum leporum, Aelianus. Plurima in eis colorum diuersitas, sunt candidi, sunt atrii, fuscii, subflaui, ruffi, & alijs coloribus; & rursus uel toti coloris unius, uel uarij. Cuniculis (inquit Ge. Agricola) non unus est color: uel enim in cinereo fuscus, uel lepori nonnihil similis, uel maculosus: quò modo candidi nigris uel rutilis maculis stellantur. Carnem habet albam, Albertus. Cuniculorũ exta in Bætica gemina sæpe reperiuntur, Plinius: uideatur autem iecur potissimum intelligere; nam de leporibus quoq; fertur, quòd nonnullis in regionibus bina iecinora habeant.

C.

- 10 Gaudet in effossis habitare cuniculus antris, Martialis. Quærit antra in collibus terreis, & adæquat ea puluere ne deprehendatur, uespere & mane ante antra sedet, Albertus. Emergunt alij subinde, alij redeunt in cuniculos. Prouerbiorum cap. 30. Schephannim, id est, cuniculi, callidis & prouidis animalibus (formicis, locustis, araneis) adnumerantur, Cuniculi (inquit sapiens) genus non forte, in sæla, id est, petra collocant habitationem suam. Et Psalmo 104. Selaïm, id est, petras, latibulũ esse laschephannim, id est, cuniculis legitur: Schaphan Hebræi cõmuniter pro cuniculo accipiunt, Munsterus in scholijs in eundem Psalmum. Hinc forsitan dubitet aliquis an schephannim cuniculi sint, cum non in saxis aut saxosis locis uersari soleant, quòd sciam, quòd fodere illic impediuntur: sed terreno potius solo, & collibus terrenis, ut ex Alberto retuli: Herinacei uerò circa parietes latent, aut in cauis arboribus. Sed quoniam inter saxa quædam in collibus specus uel meatus oblongi reperiuntur, & cuniculorum receptaculis apti, quærendũ est an in ijs quoq; cuniculi in alijs regionibus uersari soleant. Hæc iam scripseram, cum amicus quidam Hispanus hac de re per literas nostras interrogatus in hæc uerba rescripsit: Cuniculi apud nos copiosissimi sunt in montanis locis atq; in præruptis montibus. Neq; dubiũ mihi est eos habere subterraneos meatus in locis asperioribus & petricolis: quam id nunquam accuratè obseruauit. Fui ego in uenatione cuniculorũ in loco montoso & saxis oppleto, inter quæ uidebam cauernulas perfossas: utrum autem in locis interioribus fuerint saxa, an terra mollior, nõ possum asseuerare. In Angliã, ubi est copia ingens cuniculorũ, in syluis, lucis & nemoribus, locis uidelicet planis delitescunt, quoniã regio nõ est montosa, Hæc ille. Cuniculus multos fodit specus, & in colles terrenos agit cuniculos. Mane & uesperis egreditur, reliquo tempore ferè latet. Aliquos autem specus operit puluere ne deprehendantur. ¶ Coitus auersis, elephantis, tigribus, lyncibus, leoni, dasypodi, cuniculis, quibus auersa genitalia, Plinius. Quæ retro urinam mittunt, auersa coeunt, ut leones, lepores, lynces, Aristot. de hist. animal. 5. 2. Auersum est cuniculis membrum genitale, & semen paucum habent, quamobrem auersis posterioribus coeunt, Albertus. Dasypodes omni mense pariunt & superfœtant, sicut lepores. A partu statim implentur, concipiunt quamuis ubera siccante fœtu: pariunt nõ cæcos, Plinius lib. 10. Habent sanè hæc omnia cuniculi cum leporibus communia. Generare incipiunt, ut audio, cum sex menses ætatis lunares habent: uel ut Anglus quidam mihi retulit, anniculæ: nam cum pro matricibus Martio mense tantum natas aleret, quod per sequentem ætatem commodius nutrèrentur, prolem ex eisdem non antè sequentis anni Martium se habuisse. Superfœtant dasypus & lepus tantum, Plinius. In cuniculis manifestissima est superfœtatio, Aug. Niphus. Narrauit mihi quidam cuniculorum nutritor, foeminas quasdam huius generis quas domi alebat, binos aut ternos fœtus enixas, & post dies circiter quatuordecim iterum totidem: hoc ipsum superfœtare est. Pariunt ferè circiter quinos, nouenos ad summum, aliquando singulos: eosq; cæcos ad nonum circiter diem. Facit hæc eorum fœcunditas ut numerus eorum breui multiplicetur. Statim à partu requirunt mares: & nisi admittantur, indignantur aliquando ita ut coitum postea ad dies aliquot, plus minus quatuordecim recusent. Hyeme apud nos non pariunt, nisi rarò cum satis calida est æris constitutio. Lac præbent catulis per dies unum & uiginti ferè. Mares catulis infesti sunt, & morfu perimunt ut feles. ¶ Progrediuntur noctu & uineas frugesq; depascuntur, Albertus & author libri de naturis rerum, Gramine, trifolio pratensi, alijsq; herbis & fructibus uescuntur, ut dicam capite quintò.

D.

- 70 Lepores & cuniculi (λαγωί και διασύνποδες) ingeniosi ac timidi sunt, Aristoteles de hist. animal. 1. 1. interprete Gaza. Cuniculi inter semifera animalia connumerantur, quæ nec placida, nec fera sunt, sed mediæ naturæ: non enim mansuescunt, nec feritatem tamen habent, Grapaldus, ex Plinij, ut apparet lib. 9. cap. 6. ubi legitur, Hi mansuescunt raro: proximè autem de leporibus dixerat, & ante eos de cuniculis. Timidum est animal, & locum ubi aliquid periculi aut iniuriæ senserit, mox deserit: quòd si unus aut alter migret, reliqui etiam tanquam communem ducentes sociorum iniuriam, gregatim abeunt, Albertus. Iracundi sunt, hominem tamen non mordent: sed inter se, æmulationis studio, moribus adeò infesti sunt, ut auriculis aut pedibus quandoq; alter alterum mancum aut mutillum reddat.

E.

- 60 Fœcunditatis innumeræ cuniculi sunt, famemq; Balearibus insulis populatis messibus afferentes, Certum est Balearicos aduersus prouentum eorum auxilium militare à D. Augusto petiisse, Plinius & Strabo. Monstrauit tacitas hostibus ille uias, Martialis: ut Camillo ad Veios capiendos sit

L

+ hoc falsum esse paulo post declarare legimus, pariunt autem cæcos

Hetruria. M. Varro author est à cuniculis suffossim in Hispania oppidum, Plinius. ¶ Magna propter uenatum eorum uiuerris gratia est: immittunt eas in specus quæ sunt multiformes in terra, unde & nomen animalis: atq; ita eiectos supernè rapiunt, Plinius. In Turdania &c. cuniculi aliquando ita abundant, ut messes ualent, & militari præsidio aduersus eos opus sit: Vbi uero mediocritas adsit (inquit Strabo) plures repertæ sunt uenationes. Itaq; de industria mustelas syluestres afferunt, quas educat Africa. Has funiculis capistratas (*φιμώστους*) intra foramina dimittunt. Illæ quos capiunt unguibus extrahunt, aut in apertum fugere compellunt; egressos uenantur qui id agunt & astant. Et alibi libro 3. In Balearibus insulis (inquit) nullum animal noxium facile reperias. Nam cuniculos nequaquam indigenas esse asserunt: Quinimo cum ex propinqua insula quidam marem ac scemina intulisset, tanta ab initio facta eorum est procreatio, ut ex subterraneis cuniculis domicilia subuerterentur, & arbores, & (ut superius commemorauimus) homines ad implorandam populæ Romani opem, confugere coacti sint. Nunc autem cum ad tractandam eorū uenationem aptissimi facti sint, nulla inualefcere sibi damna permittunt, uerum possessores magnam ex terræ fructibus utilitatem assequuntur, Hæc Strabo. Cuniculū uiuerra atq; parui quidam canes, quibus est ad inuestigandum sagacitas narium, in specus & cuniculos immitti, aut liquor feruens in eisdem infusus, fugatum & exturbatum pellunt in retia, quibus capitur, Ge. Agricola. Audio in Germania inferiore quibus hoc studij est, perforatis uiuerrarum labijs & annulo argenteo iniecto, superius labrum inferiori connectere, ne cauis immitti cuniculos morfu perimant: In Narbonensi Gallia, si rectè meminimus, sportulas quasdam aut capistra capitibus uiuerrarum adponunt eandem ob causam, & tintinabula alligant. Oportet autem uenatorem cum prope cuniculorum foueas est, magno strepitu & clamore excitato eos perterrefacere ut in latibula sua omnes confugiant, atq; ita retibus circumpositis uiuerras capistratas immittit. Accipitres quos astures uocant, auxilio canum uenantur lepores & cuniculos. Ridicula est apud Isidorum Erymologia: Cuniculi, inquit, dicti sunt quasi caniculi, eo quod canum indagatone capiantur, uel à speluncis excludantur. ¶ Sunt in Anglia qui solis ferè cuniculis alendis uitam sustinent. Destinatur eis cella in domo; aut casa extra domum extruitur, in qua locatur capsula oblonga foraminibus distincta, quæ aliquot cuniculos sceminas subeuntes recipiunt, ut illic pariant, Maribus, ne ingrediantur, & catulos ut solent morfu conficiant, lignei paxilli collo appenduntur. Sunt qui cancellis ex palis ligneis supra partem horti ad parietes includant, & ne qua elabi fodiendo possint, solum ad duos aut tres à superficie pedes pavimento ex lapidibus & intrita sternant, lateribus etiam erectis pro magnitudine casulæ. Leporum tria genera, ex quibus unum cuniculorū est, in leporario habere oportet, Varro. Gramine & alijs herbis aluntur, trifolio maxime: gratæ eis brassicæ, tum aliæ, tum capitata: item panis, & poma eorumq; putamina, ut raporum quoq;. Hyeme fœno, aena, surfure, & iisdem putaminibus ter die nutriuntur. Si quis pullos adhuc teneros tractet, matres pullis ipsis indignantur, & uel deserunt, uel mordendo lædunt, aut etiam interimunt. ¶ Pelles in usu uestimentorum sunt, fuscæ & uariæ minoris pretij, maioris albæ & emaculati candoris: maximæ quæ nigredine splendent, apud Anglos præsertim: ubi quaternæ huiusmodi pelles tribus plerumq; denarijs, id est drachmis argenteis, ut audio, uæneunt. Ex nigris etiam præferuntur, quæ paucissimis albis hinc inde pilis tanquam aspersæ sunt. Ex dorsis cuniculorum consutæ pelles, durant quidem diutius, sed grauiores sunt: ex uentribus uerò licet minus durent, quia tamen leuiore mollioresq; sunt, in maiori habentur pretio.

F.

Catuli cuniculorum, ut dixi, circiter dies unum & uiginti lactent: pingues & in cibo suauiores existimantur cum mensē aetatis exegerunt. Multi statim à quartodecimo die edunt. Cicures in Hispania contemnunt, nec eos perinde salubres aut aptos esui putant, ac syluestres. Nam cum animal natura sit graueolens, augetur hoc uitium si aère incluso alatur, & motus libertate priuetur. Dulcis eorum caro est, & sapore (ut quidam scribit) felium carni proxima. Eadem cum iunipero (iuniperi baccis forte) reposita (& salita nimirum) suauior gratiorq; palato fit, Author obscurus. Cuniculi caro melius ac facilius alit quam leporina, Platina. Vda cuniculus affert Fercula, uiscosum semiimitata gluten. Hunc torre igne tamen, Bapt. Fiera. Cuniculi & leporis cerebella contra uenena commendantur, Platina. De cuniculis isicia proximum locum habent, post isicia de phasianis quæ præferuntur, Apicius 2. 2. De cuniculi coctura uide infra in Lepore ex Platina. Cuniculorum foetus uentre exectos gratissimo cibo laurices appellant, Plinius: Nostris inhumanas istas & inimicas naturæ delicias non agnoscunt, Laurices unde dicantur non facile coniecerim: nisi quis lautices tanquam à lautitijs malit.

G.

Ad synanchen remedium sic, Cuniculum uiuum in ossa rudī combures, & puluerem de ipso cum costo & folio æquis ponderibus miscebis, & sic in potione plenum cochlerare de hoc puluere cum uino dabis, atq; etiam fauces inde perfricabis, Marcellus. Reponitur etiam adeps cuniculi. Is autē, ut Syluius scribit, inter taurinum & suillum fuerit, ut uulpinus etiam, melinus, felinus, &c. Pinguedine neruos Mulceo, Vrsinus Velius. Stomachum pulpa uorata iuuat, Idem: Apparet eum deceptum ab Isaci interprete, qui pro herinaceo cuniculum uertit, & alia etiam quæ partim ad marinum partim ad terrestrem echinum pertinent, uni cuniculo falso attribuit, quem recentiores multi secuti errarunt,

errarunt, Platina, Grapaldus, & alij. Cuniculi & leporis cerebella contra uenena commendantur, Platina.

H.

Cuniculi dicti ab eo quod sub terra cuniculos ipsi facere soleant, ubi lateant in agris. Cuniculum, (genere neutro, in quo ab alijs authoribus positum non reperimus) foramen sub terra occultum; aut ab animali, quod simile est lepori appellatur, quod subterfossa terra latere est solitum; aut à cuniculorum similitudine, qui omnem materiam intrant fidentes, Festus libro 3. Hyponomus Thucydidi subterranea cauitas occultior est; cuniculum interpretari possumus, & factum inde uerbum *κουνόμειν* cuniculum agere, Cælius. Strabo cuniculorum foramina simpliciter *ὄπας* uocat. De cuniculis per quos murus effoditur aut ciuitas penetratur scribit Vegetius de re militari 4.24. Cuniculis oppugnare, *κουνόμοις πολεμίζειν*, dicitur qui non aperta uia, sed dissimulanter ac dolis rem gerit: contra qui palam agit quod agit, machinis agere dicitur, *ὄνη ἐπὶ κουνόμοις ὁ Κάϊσαρ, ἀλλ' ἦδη μηχαναῖς αἰρεῖ πρὸς πολιτείαν*, Catulus Luctatius in senatu, apud Plutarchum in uita Cæsarum, Erasmus Rot. Quæ res aperte petebatur, ea nunc occultè cuniculis oppugnatur. Catullus Celtiberiam uocat cuniculosam, id est cuniculis plenam. Agere cuniculos, meatus subterraneos fodere, apud Cæsarem lib. 8. de bel. Gal. & Cicerone 3. Offic. Is qui sub terra cuniculos fodit, cunicularius Vegetio nominatur. Alterum genus concharum purpura uocatur, cuniculatim procurrere rostro; & cuniculi latere introrsus turbulato, qua proferatur lingua, Plin. 9.36. Alij codices, etiam antiqui, canaliculatim habent, & canaliculi: sed legendum uidetur cuniculatim, uel clauiculatim (à clauiculis uitium, *ἐλιθεσίδως*), ex Aristotele qui scribit *ὀχλιθεσίδως*. Cæterum uerbo cuniculatim Plinius supra quocumque utitur lib. 9. cap. 33. (his uerbis, In concharum generibus magna uarietas est, crinita, crispa, cuniculatim, pectinatim, imbricatim undata,) Hermolaus. ¶ Curiana regio noui orbis cuniculos habet, uillo, colore, ac magnitudine leporibus similes, P. Martyr. Idem lib. 5. Oceanæ decadis, Vtias (inquit, in nouo orbe) uocant animal cuniculo nostro simile: Et rursus lib. 8. Vtias muribus non maiores scribit: & ab Hispanis ad cibum requisitas aliquoties meminit. ¶ Triquadra patria Hannibalís, Plinius 3. 5. Quidam Triquadram legunt, quod ea sit eius forma: & à nautis Cunicularia, ut aliæ multæ, ab animalis eius copia dicatur, aliàs deserta. Ibidem aliqui non patria sed parua legunt: sed uidetur etiam patria posse, quod Hannibal, teste Liuius, in Hispania non Africa sit editus, Hermolaus. Cuniculariæ insulæ parue sunt, Corsicæ insulæ uicing, (inter Corsicam & Sardiniam, Perottus;) ut scribit Plinius. 3. 6.

### DE DICTYE.

DICTYES animalia in Africa, ut scribit Herodotus lib. 4. Apud Pastorales Afros Orientem uersus, gignuntur (inquit) bassaria, & hyænæ, & hystriches, & arietes agrestes, & dictyes (*δίκτυς*) & thoes, &c. Hoc animal ne nominatum quidem alibi usquam reperio: coniectio autem quadrupedem esse uisiparam, quod cætera quæ eodem in loco recensentur animalia omnia eiusmodi sint: Quamobrem nihil huc pertinet quod Hesy chius & Varinus docent, dictyn apud Lacones icinum, id est miluum appellari.

### DE EALE.

NASCITUR apud Aethiopes & quæ uocatur eale, magnitudine equi fluuiatilis, cauda elephanti, colore nigra uel fulua; maxillas apri, maiora cubitalibus cornua habens, mobilia, quæ alterna in pugna sistit, uariatque infesta aut obliqua, ut cunctæ ratio monstrauit, Plinius. Est & eale (inquit Solinus cap. 55. scripserat autem proximè de Indis, & animalibus apud eos) aliàs ut equus, cauda uero elephanti, nigro colore, maxillis nigris, præferens cornua ultra cubitalem modum longa, ad obsequium cuius uelit motus accommodata. Neque enim rigent, sed deflectuntur ut usus exigit præliandi. Quorum alterum cum pugnat protendit, alterum replicat, ut si ictu aliquo alterius acumen obtusum fuerit, acies succedat alterius. Hippopotamis comparatur, & ipsa sanè aquis fluminum gaudet, Hucusque Solinus.

### DE ECHINO TERRESTRI.

A.

DE ECHINO, quanquam Græco nomine, hoc loco scribere uisum est, quoniam herinatium suum Latinis inconstanter scribi uideo; etiam eruditiss: quidam enim aspirant, ut Plinius, Gaza, Pontanus, alij: sunt qui sine aspiratione scribunt, Hermolaus, Massarius, &c. In penultima etiam nonnulli, i. uocalem pro e. ponunt, ut Eucherus. Ego semper aspirare malim, ut Plinius fecit: nam qui spiritum detrahunt recentiores sunt omnes. Accedit etymologia: putant enim grammatici quidam herinatium (sic legimus in Pontani de aspiratione libro, penultima per t. & i. non per c. & e. expressa) ab horrendo dici; atque exinde aspirationem trahere. Quinetiam Galli aspirantes scribunt in sua lingua, Hispani tamen non aspirant. Non ineptè etiam ab hærendo aliquis deriuet, quod fructus & alia spinis eius infixæ hæreant. Echinus tam aquatilis quam terrestris Græca uox est, à Latinis erinaceus appellatus: quanquam Theodorus echinum ma-